

Johann Bernhard Quistorp

**Magnificentissimo Academiae Varniacae Rectore, Serenissimo Principe Ac Domino, Domino Friderico, Principe Hereditario Mecklenburgico ...
Gloriosissimum Resurrectionis Jesu Christi Festum, Vt Omnes Et Singuli Academiae Cives, Sedulo, Pie Ac Reventer Meditentur : Eosdem Ex Officio Serio Exhortatur, D. Joannes Bernhardvs Quistorp, Med. P. P. O. Ac Poliater, Vniversitatis Hodie Pro-Rector**

Rostochii: Typ. J. J. Adleri, [1751?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876718357>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1751. Ostern

M-1256. 3H.

04.1751

MAGNIFICENTISSIMO
 ACADEMIAE VARNIAE
 RECTORE,
 SERENISSIMO PRINCIPE
 AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
 PRINCIPE HEREDITARIO MECKLENBURGICO,
 VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI, COMITE
 SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII
 AC STARGARDIAE DOMINO,
 PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO

GLORIOSISSIMUM
 RESURRECTIONIS
JESU CHRISTI
 FESTUM,



VT
 OMNES ET SINGULI ACADEMIAE CIVES,
 SEDULO, PIE AC REVERENTER MEDITENTUR,
 EOSDEM
 EX OFFICIO SERIO EXHORTATUR,
D. JOANNES BERNHARDVS QUISTORP,
 MED. P. P. O. AC POLIATER,
 VNIVERSITATIS HODIE PRO-RECTOR.



ROSTOCHII,
 TYP. J. J. ADLERI, SEREN. PRINC. AULICI ET ACAD. TYPOG.

M. 1256 311



Illuxit iterum, per divini Numinis gratiam, auspica-
tissimum saluberrimumque Festum Paschatos, Fe-
stum profecto omnium maximum, eum in finem
ab ecclesia Christiana primitiva institutum, ut quotannis
publicis in conventibus victoriosam Domini nostri Jesu
Christi resurrectionem in memoriam revocemus, ferias-
que ipsas passionales insigni animi lætitia non tamen abs-
que sacra meditatione, laudibus, precibus ac hymnis so-
lenniter celebremus. Ad decentem hujus festi celebra-
tionem, ut Vos subinde, *Cives honoratissimi, dilectissimi*que,
publice admoneam ac obtester, muneris mei, quod adhuc
dum humeris meis impositum, Pro-Rectoralis ratio exi-
git postulatque. In recenti Vobis, spero, hærebit memo-
ria, me in tempore Natalitiorum Christi concinna egisse
brevitate, de *miraculosa nativitate; tempore vero passionali,*
de miraculosa ac superstitiosa cruce; (vom heiligen Creuze)
nunc autem, tempore presenti, videlicet paschali, animus
mihi est differendi, de *miraculosa superstitione* circa Fe-
stum Paschatos. Varia in Ecclesia Romana, dari supersti-
tionum genera extra omnem dubitationis aleam positum
est.

est. Ecquis enim non legit aut audivit, de Pontificio-
rum *cereis paschalibus*, vulgo *Osterkerzen, Osterlichter*, ante festum Paschatos præparandis. Apud Christianos in usu fuisse cereos istos paschales, notatum legi in vita Constant. M. Hic enim primus ex Christianis Imperator fuisse dicitur, qui decreto certo sancivit atque deposuit, ut ea nocte, quæ diem resurrectionis *Servatoris nostri* proxime antecedit, Lampades, sive *Cerei* iique, publice juxta ac privatim accenderentur, quibus, pascha Novi Testamenti propter resurrectionem *Christi* apud Christianos communi celebrari lætitia, significaretur. Horum moris ac consuetudinis solemnis postmodum imitatores fuerunt Pontificii, quippe qui idem nunc peragunt, non tamen absque abominanda atque turpissima idololatria. Constat enim, quod ipsi omnium primo ingentem ex candida cera parent cereum, quem salutant *paschalem*, paratum consecrent, simulque aquæ antebenedictæ intingant, consecratum denuo de novo isto igne paschali, jam ante ex chalybe elicito & consecrato, accendant, in honorem *Christi* resuscitati. Pari modo conficiunt reliquos cereos paschales, eosque identidem aquæ *lustrati* consecratæ (vulgo *Weywasser*) intingunt, & in hanc prius halitum immittunt. Antequam aquæ consecratio fiat, *exorcismus* ejusdem, vel ab Episcopo ipso vel à Sacrificio his suscipitur verbis: *Exorcisco Te, creatura & in nomine DEI Patris omnipotentis, & in nomine Filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritus S., ut fias aqua exorcitata.* Circa cujuslibet personæ divinitatis *nominatio- nem* formatur *Crux*. Ut ad cereos paschales redeam, usurpant eos partim, ut opinantur, ad fugandum *Dæmonem*, partim ad avertenda *tonitrua*, quapropter & eorum reliquias *turrium globis* includere solent. Neque minus fa-

bulosi isti homunciones concinnant *cereas orbiculos*, quos ab impressa figura, *agnos DEI*, appellant. Hos autem supremus ipse Romanensium Præsul, non duntaxat inter Cardinales & Clericos distribuit, sed & insignis muneris instar ad Reges & Principes ex singulari favore & amore transmittit, iisdemque pariter miram adscribit vim, nimirum, quod *fulgura pellant*, quod *incendia restinguant*, quod *gravidas contra abortum præservent*, quod morbum *Comitalem curent*, &, quod maxime impium est, quod *peccata tollant*, ut sanguis Christi, *agni DEI*. O detestandam idolomaniam! Neque minus crassa minerva excogitata est, *Rosa illa aurea*, ex auro, Balsamo & Moscho constans, quippe cujus consecrationem ipse Pontifex Romanus in missa publica certo anni die paulo ante Paschatos festum, *prece, thure, & aqua lustrali* peragit, eamque nemini nisi Regi aut Principi dono offert, non alium in finem quam ut Magnates in *vecordia* Papali conservet, eosque ad voluntatem suam implendam, incitet. Cujusmodi Rosam *Papa Rom. Innocentius VIII.* tradi curavit A. 1483. per sic ductum Prælatum suum, *Reimarum Hahn*, in manum, *Magni Ducis Mecklenburg. Principis & ingenio & animis insignis*, ob singularissimum pro Religione Catholica Zelum. Historiam hujus rei integram memoriæ prodidit haud ignobilis Rerum Mecklenb. scriptor *Latomus*, in *der Mecklenb. Chronick* ad A. 1487. d. 15. Januar. *hisce verbis*: So hat auch eben der Fürst am Frohleichnamstage, benebst dem Sacrament die güldne Rose, welche ihm der Pabst seiner Verheissung nach, durch einen grossen Prälaten Reimar Hahn gesandt hatte, zugleich mit lassen umhertragen, welche Rose der gemeine Mann so hoch gewürdiget und angebethen hat, als das Sacrament, warum doch? Denn der Christliche Pabst hatte sie zu Rom in
der

der Kirchen zum Creuz auf dem Altar mit wohlriechenden Balsam zerrieben, Weß, Weyrwasser und andern Kräutern und Gewürz durch abergläubiges Gebeth und Seegen, zauberischer Weise am Rosen: Sonntage seiner Gewohnheit nach geweiht und Herzog Magnus, als einen mächtigen Magnaten und grossen Befoderer der Römischen Kirchen, zur Bestätigung seiner Päpstlichen Lügen und Mörderen in und mit grosser Solennität zugeschicket mit diesem Epigrammate:

Accipe, Magne, Rosam auri Dux fronte serena,
 Summi Pontificis munera magna fero.
 Regnum, Magne, Tibi virtus, probitasque, decorque
 Hanc dedit, & nostræ Religionis honos,
 Olim non dubitas sanctorum visere limen
 Tu Petri & Pauli, quos colit Ecclesia
 Tu potes o! nimium lætari munere tali,
 Tu potes & summo reddere dona DEO.
 His igitur quæso, regnorum maxime Princeps,
 Hanc nostram semper Tu tueare fidem.
 Sic Tibi lanificæ producant pensa forores,
 Sic valeas menses, cernere Nestoreos.

Quid de adductis cereis, agnisque DEI paschalibus atque rosa illa aurea sit sentiendum, haud difficile cuivis ex verbo DEI meliora edocto, erit; Missis his progrediendum nobis est ad ea, quæ in ipso sanctissimo paschatis festo accidere solent. Bone DEUS! quot non varia ineptiarum genera observantur atque deprehenduntur in Romana ecclesia, Quod græcam ecclesiam concernit, re-

latum legi, antiquos Græcos pro istorum temporum credulitate credidisse, *sepulchrum Christi prima paschali feria, illuminari; & candelas, lampadesque, in templo sepulchri dominici suspensas sponte accendi.* Ecquis autem credet. *Dicendum potius, excogitatum illud miraculum ab otiosis Monachis, quibus non insolitum, nova effingere miracula, ut per illa monasteriorum reditus accrescant.* Quanta vis in Ecclesia pontificia, *aquæ lustrali* (vulgo **Wey-Wasser**) attribuatur, nemo nisi omnium rerum ignarissimus ignorat, adducam ex multis unicum saltem *exemplum superstitiosissimum* adnumerandum de *captivis compeditis, quorum catena vi aquæ benedictæ ab Episcopo Razeburgensi,* (pietate ac miraculorum gloria maxime tum temporis illustri) aspersæ dicuntur dissolutæ, adeo ut libere sine omni strepitu ex templo discesserint. Hujus rei historiam ex Krantzii Vandal. L. V. C. 42. recenset fufius cum omnibus circumstantiis *clariss. HÜBNERUS in den kurtzen Sragen aus der politischen Historie P. VIII. p. 1059. Graf Henrich zu Razeburg hatte etliche Friesländer gefangen, und hielt Sie sehr harte: Der Bischof intercedirte vor dieselben, bekam aber abschlägige Antwort; am Ostertage stunden diese Gefangene in der Kirche. Wie nun der Bischof die Gemeine mit Wey-Wasser besprûgte, so besprengte Er auch die Ketten, damit Sie gefesselt waren und sagte: Der Herr löse auf, was gebunden ist, alsobald zersprungen die Ketten, und die Gefangene giengen ihres Weges.* In hujus narrationis veritatem non inquiram, sed Lectorem remitto ad B. D. DAVIDIS HENR. KOEPKENII *Tr. lectu dignissimum de fabulosa Megapoli p. 57.*, qui rem egregie discussit. Referenda hic quoque est historiola de *Tripudio Solis.* Profecto nullus ferme locus deprehenditur in orbe Christiano, ubi non olim viguerit hujus

jus rei credulitas. Quin etiam in his *Terris Mecklenburgi-*
cis, credulum vulgus ante reformationem sibi temere per-
 suasisse dicitur, *solemnem orientem* prima Paschatos feria,
 qua Christus, sol justitiæ ex sepulchro prodiit, tripudium
 quasi agere, id est, prænimia lætitia ob victoriosam salva-
 toris mundi resurrectionem tribus vicibus subsilire. Quæ
 vana persuasio, credulitati nimis deditam plebeculam, va-
 riis in locis incitavit, ut hoc die, summo mane, ante au-
 roræ ortum exeuntes, editiora loca conscendant; videli-
 cet rustici, alique simpliciores, quo solem in ortu *tripudi-*
antem conspiciant. Ast vero, illi vel a propria imagina-
 tione seducti, vel ab oculorum, a splendore solis propemo-
 dum occæcatorum, conniventia delusi, vel a vaporibus
 hoc verno tempore mane descendentibus, solemque *tre-*
mulum repræsentantibus decepti, hoc demum curiositatis
 præmium reportant, ut credant se solem revera subsilien-
 tem conspexisse, adeoque pro veritate imaginationem,
 pro sole, nescio, quam solis umbram, pro lunone, nubem
 amplectantur. (*) Vanissima ergo est *superstitio* illa, nec ulla
 veritatis specie gaudet; si enim ex mente *Tychonis* circa
 terram circumgyrari solem statuamus, si secundum
Copernici sententiam, solem immobilem, mobilem vero
 terram supponamus, utrinque absurda evadit assertio. Si
 enim, quoties aliquis terræ tractus die Paschatos a sole il-
 luminaretur, vel sol, vel terra exultaret, per totum diem
 perduraret istiusmodi saltatio. Nec opus est, ut hic ad
 omnipotentiam divinam provocemus, & miracula, tacente
 Scriptura S., fingamus.

Inter

(*) Vide late & eleganter B. LVTHERI Medici quondam
 Kiloniensis celeberr. *Diss. speculis de Tripudio solis Pa-*
schali.

Inter ritus vanos circa tempus Paschatos observare solitos, locum quoque invenit *Ovorum paschalium* (vulgo *Oster-Eyer*) oblatio. Licet mos iste in nostris terris jam dudum cessaverit, attamen aliis in locis illa adhuc potissimum apud plebejos viget. Præsentatur autem & offeruntur ova, non nuda & vulgaria, sed variis coloribus distincta: neque cruda, sed vel tosta, vel ad duritiem cocta. Cujusmodi in Papatu etiamnum divenduntur, ex inepta persuasione, esum ovorum primo paschali die coloratorum, ad *acutos & gravissimos morbos* debellandos, multum conducere: apud *Moscovitas* adhuc dum in usu esse, in propatulo est. Quando enim tempore paschatos conveniunt, solennis est ipsorum salutandi formula: *Christus resurrexit*, cui alter reponit: *vere resurrexit*, simulque *invicem osculantur, ac ova paschalia sibi offerunt*. Nec facile quisquam repertu datur, sive sit sexus prioris, sive sequioris, sive sit præstantioris, sive vilioris conditionis. Prolixam hujus ritus solennjs narrationem historicam legimus in Libello A. 1712. in 8vo edito sub *Titulo: Religion der Moscowiter* p. 77. hisce verbis consignatum: *Ihr vornehmstes Fest, ist dasjenige welches, sie Wosreschenia Christova nennen, das ist: die Auferstehung Christi, oder Ostern. An selbigen Tage machen sich die Moscowiter sehr lustig, so wol, weil es der Tag der Auferstehung Unfers Herrn und Seeligmachers Jesus Christus, als auch, weil ihre grosse Fasten zum Ende ist. An selbigen Oster-Fest hat einjeder die Freyheit, die klaren und hellen Augen, wie sie sagen, des Zaars zu sehen, das ist: er wird zum Handkuß gelassen, und bekommt von ihm zum Andeucken, ein rohtes Ey. Die vornehme Leute, und das gemeine Volk, die Alten und Jungen tragen solche Eyer 14 Tage nach Ostern bey sich. Es giebt auch eine grosse Menge Leute, welche*

che solche auf der Gassen verkauffen. Wann in wählenden diesen heiligen Tagen, einer dem andern begegnet, so grüßet und küßet er ihn mit diesen Worten: *Christos Wosgrestli*, Christ ist auferstanden, und die Persohn, welche gegrüßet worden, küßet ihn wiederum, und antwortet, *Worstin Wosgrestli*; Er ist wahrhafftig auferstanden. Kein Mensch, was Standes er auch seyn mag, Manns oder Frauens Person, darff weder einen solchen Kuß, noch das rohte oder sonst gefärbte Ey, so ihm präsentiret wird, ausschlagen. Es ist auch die Gewohnheit, daß der Czaar an solchen Tagen die Gefangenen besüchet, welches er des Morgens vor der Sonnen Aufgang thut. Er giebt ihnen ein rohtes Ey, und ein rohtes Hammel: Fell, und spricht zu ihnen: erfreuet euch, denn Christus, der für unsere Sünden gestorben, ist nun auferstanden. Huc usque autor. De vera hujus ritus origine nihil certi constat, sunt meræ duntaxat conjecturæ, quas seduli antiquarum rerum indagatores in Lucem proferunt. Nonnulli autumant, ortum ejusdem esse repetendum ex gentilismo, nimirum ex Ludis Romanorum Circensibus (*Eyer-Fest* oder *Eyer-Spiel*). Alii vero contendunt, ova hæc esse resurrectionis symbolum, quia veteres Philosophi, hoc universum, *ortum esse ex ovo*, omniaque *ex ovo generari* tradiderunt; alii natales ejus deducunt, à jejuniis quadragesimali; scilicet finita hyeme, sub veris auspiciis gallinæ iterum incipiunt parere *ova*, quam plurima, quibus tamen usque ad festum Paschatos frui non licebat, ea propter eorum magna copia fuit asservata, quæ deinde eo avidius & largius consumebantur. Aut forte illa ova ad duritiem cocta asservabantur, donec, ipsis feriis illis frui integrum erat, salva conscientia, utut non salvo stomacho. Cum itaque *superstitiosa* hæc consuetudo omni destituatur fun-

B

damen-

damento, merito abroganda est, præcipue cum sanitati valde perniciofa sint ejusmodi ova paschalia, utpote quæ per ingluviem ingurgitata, ventriculum adstringunt, macerant ac difficulter subiguntur, pessima non raro afferunt symptomata.

Antequam filium abrumpam, auribus vestris, haud ingratum fore, spero, si de usitato olim in Papatu *Risu paschali*, vulgo *Oster-Gelächter*, paucis egero. Nulla certe datur ecclesia in orbe Christiano, quæ ritus ridiculos & theatrales magis amat, iisque quam maxime delectatur, quam Romano Catholica. Non proferam in medium ritum celebrandi Messam. *Bone DEus!* quæ gestulationes circa eandem non observantur. Nunc in secretis murmurat *Messifex*, nunc tacet, nunc digitis micat, modo fune corpus constringit, modo in altari huc illuc curfitat. modo anteriora, modo posteriora populo ostentat, nunc extendit, nunc in gyrum agit, nunc retrahit manum, adeo, ut Mimum vel Histriionem potius, quam sacerdotem religiosum atque devotum in tremenda ista actione agere videatur. Sed animus mihi est, justa recensione indicare Romanensium ritum Paschalem, quippe qui consistebat in Lepida jocosaque Concionatoris gestulatione, qua ipse sacratissimo Paschatos festo auditores suos, tempore jejunii satis afflictos atque contristatos, *rursus exhilarare* & ad gaudia commovere solebat. Hanc ineptam consuetudinem tam striete observabant, ut inter necessaria hujus festi requisita eandem ponere non vererentur. Hinc varias fabulas, lepidasque historiolas ex legendis potius *legendis* Patrum ex Cathedra sacra commemorabant. Hujusmodi sacerdos recentiori erat ætate *Pater Abraham de St. Clara* Concionator Viennensis, qui subinde ob fabulas, quas publicæ concioni effutire consueverat,

verat, per jocum nuncupatus est Pater Fabian, Pater Fablian. Jocofum in eo legitur Epigramma:

Erz Vater Abraham, es lachet deine Sara,

Davor als sie dem HErrn mit frohen Herzen danckt,

Nicht anders lachet man bey Abraham a Clara,

Wenn er die Predigt hält bey Augustinus Sanct.

Concionem paschalem his verbis ipsum aliquando auspicatum esse legimus in Tenz. monathl. Unterredungen:

Triumph, Triumph, Victoria!

Christus der HErr erstanden ja,

De Döfel liegt besieget da,

Triumph, Triumph, Victoria!

Hujusmodi modum excitandi risum per conciones fabulosas etiamnum tempore reformationis in usu fuisse, legimus in denen *Historien von Lutheri Anfang, Lehr, Leben und Sterben*. Causam nefandi hujus moris, quo sanctum Paschatos Festum potius profanabatur, quam pie ac religiose celebrabatur, si quæramus, nulla alia erat, quam incitiam sive ruditas monachorum, utpote qui nulla gaudebant eruditione, neque sufficienti doctrina erant instructi. Quid ergo mirum, ipsos fictas & comentitias fabulas, tanquam veras historias ex cathedra ecclesiastica populo retulisse, quin imo tales jocos enarrasse, quas vix alibi nedum in sancto Loco referre decebat. Plura eaque curiosa Legere cui volupe, conferat. Viri Illustris J. P. Schmidt, *Seven, Princ. a Consiliis Caes. e. Regim. int.* Programma Paschale, de risu Paschali, vom **Oster-Gelächter**, ex professo, insigni cum eruditionis apparatu, stiloque eleganti conscriptum ac anno 1747. hic loci publicatum. Potuiffem adhuc de placentis paschalibus (von den **Oster-Gladden**) eorumque origine & abusu differere, ast plagulæ hujus angustia ex R. C. decreto id non permittit. Ab-
rumpo

rumpo itaque & colophonem discursui meo impono. *Cives honoratissimi, dilectissimi que?* Excitat nos pariter lætissimum hoc festum Paschatos ad lætitiã, quam mens nostra concipere potest maximã, eo quod *Dominus* gloriæ, crucifixus atque mortuus, hodierno die morte *resurrexerit*, & e sepulchro prodierit. *Exultate* itaque ac lætamini ea de causa. Et profecto si *Servator noster dulcissimus* in morte mansisset nec revivisset, omnis spes futuræ nostræ resurrectionis frustranea foret atque vana. Sed DEO sit laus & gloria, quod mors absorpta sit in victoriã. Namque *Mors mortis, morti, mortem, morte redemit. Lætamini*, quod Christus hostes infernales ante resurrectionem debellando, victoriã reportaverit, nosque omnes à potestate diaboli liberaverit. *Cavete autem Vobis Cives Optimi!* ne sanctissimum hoc tempus, in lætitiã mundana, nimirum nugis, superstitionibus, risu cum primis lascivo, comestatione ac comotatione transigatis. *Gratias* vero agite salutis vestræ restauratori immortales, pro infinito suo in nos amore ac victoriosæ hostium debellationis beneficio. *Vivite semper felices.*

Assurgite adhortationibus Virorum, qui sacris meditationibus per hoc festum, uberiores præbent occasionem. Mei officii ratio exigit, ut vos admoneam pariter. Pia est mihi intentio, & siquid ceu Programmata Funebre *Luggerianum*, qua Lineas de mortalitate hominum ante lapsum edoceor, non omne fert punctum Theologicum, *scitote*, mihi illud absque animo contradicendi, vel derogandi doctrinis purioribus excidisse.

Valete!

P. P. SUB SIGILLO ACADEMIÆ,

FER. I. PASCH. A. G. MDCCLI.







